



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curiae forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XVI. De præventionē causæ quoad Judicem in vim jactationum; Ac etiam de judicio præventivo, seu de futuro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

in una, vel in altera causarum specie diversus esse solet; Puta quia iudicium intentatum sit per viam monitorii, seu libelli; Quamvis id solum sufficiens reputari non soleat, nisi alia accedant circumstantia, vel argumenta, quoniam ob clausulas salutare, quæ in monitoriis adjici solent, illud resolvable est in simplicem citationem, quæ in omni iudicio, etiam executivo necessaria est, ideoque aliquid aliud desideratur, cum iste dicatur actus æquivocus. *Gregor. & add. decis. 307. Buratt. & add. decis. 208. decis. 30. par. 5. rec.*

15 Eo modo quo ad hunc effectum reputatur citatio ad dicendum contra articulos, quoniam etiam in iudicio summario, & executivo quandoque facere oportet probationes per testes, pro quorum examine requiruntur articuli, præsertim in materia beneficii pro executione literarum Apostolicarum alicuius provisionis super verificatione narratorum, cum similibus.

16 In prophanis tamen, nimium rari, ac verificabiles sunt casus iudicii verè executivi in actione personali, cum probationibus extrinsecis per examen testium, cum ipse punctus, an probationes concludant, & an testibus deferendum sit, necne, appellabilitatem secum ferre videatur; Unde propterea in Tribunalibus Regni Neapolitani, datio termini ad faciendum probationes, importare solet declarationem viæ ordinariæ, & exclusionem executivæ, atque super hoc majores quæstiones esse solent, magnæque victoria ibi reputatur, obtinere concessionem termini in causa.

17 Aliquas tamen limitationes, seu declarationem recipit regula supradicta super præiudicio viæ summarie, vel executivæ, resultante ab electione viæ ordinariæ; Et præsertim, ut intelligatur in vim eorundem iurium, secus autem diversorum, puta in vim scripturæ noviter repertæ, cuius notitia non habebatur; Sive quod licet eadem sit causa originaria utriusque actionis mater, vel productrix, at tamen iudicia sint diversa, & compatiblea, *decis. 30. par. 5. rec. decis. 200. post Zacch. de obl. cam. Duno. zett. decis. 849.* Ideoque rarò praxis hodie docet huiusmodi præiudicia, quæ ex antiquiorum rigoribus manant; Et merito, cum imperitorum Causidicorum errores non debeant adeo præiudicare ignaris, & innocentibus partibus; Atque quo magis fieri potest, ista subterfugia, quæ præbent calumniarum fomentum, evitari debent.

18 In casu autem prædictarum, vel aliarum limitationum, ob quarum aliquam dicta variatio permittatur, expensarum tamen alterius iudicii variati resectio facienda est alteri parti.

19 Ex hoc autem simili, ac etiam ex altero illius, qui conventus tanquam laicus, voluntariè distulit opponere de clericatu, ut ad eandem refectionem teneatur, nisi postquam opposuit, adhuc Actor prosequatur causam coram eodem laico, cum tunc intret mala præsumptio, quod si ab initio oppositum fuisset, adhuc non destitisset. *Grass. de effect. cler. cap. 1. num. 880. Farinac. quest. 8. numer. 16. Bellet. disquis. clerical. tit. de favor. cleric. person. §. 2. num. 14. & seq. apud quos alii.*

20 In casus contingencia consultus respondit, ut persona privilegiata, quæ forum Principis elegerat, ita declinando forum domicilii, ad quem postea variaverat ex privilegio *l. unic. C. quando Imperator inter pupill. reficere deberet alteri parti expensas, ac damna pass. ratione electionis, & subsequenter variationis, cum omni æquitas, omni que ratio, ita exigere videatur.*

Procedunt item præmissa, ubi electio, ac respec-

ctivè variatio iudicii ordinarii, & summarii, vel executivi, proveniat ex parte eiusdem Actoris, qui prius unam viam elegerit, deindeque prætenens, alteram eligere velit; Secus autem ubi id sequatur ex parte collitigantis, quia nempe, iuxta sequentem rubricam, ille, qui iudicium executivum timeat, ex remedio *l. diffamari. & l. contendat*, Actorem provocet, ac præveniat in iudicio ordinario, ut in aliquibus partibus istam præventionis cautelam captiosam, frequens praxis docet, quoniam id non præiudicabit actioni executivæ, vel summarie, quæ actori competat.

Hinc propterea indies Signatura iustitiæ desuper signare solet contra commissiones cum rescripto, ut commissiones ab altera parte obtentæ censeantur, ac si signatæ essent cum clausula sine præiudicio obligationis cameræ, vel alterius processus executivi; Et quandoque mandari solet earum laceratio, ut neque præiudicent, quoad Iudicem, quia nempe timens processum promptum, vel executivum in Tribunali A. C. præveniendò curet committere causam in Rota, cum similibus.

De Præventionem causæ quoad Iudicem in vim iactionum; Ac etiam de iudicio præventivo, seu de futuro.

SUMMARIUM.

- 1 De præventionem facta per reum in iudicio diffamationis, vel iactionis.
- 2 De requisitis pro istius iudicii introductione, & de eius effectu.
- 3 Non intrat ubi adsint molestia iudiciales, idque inhibitionibus debet exprimi.
- 4 Quid si ista clausula omittatur in inhibitione, an efficiat, & causet attentata.
- 5 Quod inhibitio sive iusta, sive iniusta sit timenda.
- 6 Declaratur quando id procedat.
- 7 Clausule apponi solite, habentur pro appositis.
- 8 De eodem de quo num. 4. & 6.
- 9 Quod in Signatura non detur stylus certus, ac semper uniformis.
- 10 Quando dicatur causa præventa, vel coæpta, ut molestia dicantur iudicialiter illate.
- 11 De præventionem, quam debitor faciat adversus creditorem, ut ita effugiat iudicium executivum.
- 12 Quare in Curia ista materia præventionis sit rara.
- 13 Et in Tribunalibus aliorum Principatuum frequens præsertim in illis Regni Neapolitani.
- 14 De iudicio præventivo, seu de futuro super sperata actione adhuc non nata.
- 15 De eodem, & an illud sit licitum præsertim in fidei commissis.
- 16 De eodem in dote, an scilicet dotanda petat dotem ante matrimonium.
- 17 Et an petat præventivum dotis depositum, vel assignamentum.
- 18 Datur certius in annuis censibus, aliisque præstationibus.
- 19 Idem in iurisdictionibus, ac præminentialibus.
- 20 Et in contr. versis honorificis, vel præcedentia.
- 21 De regula generali in materia, & quando hoc iudicium sit licitum, nec ne.

TRipliciter praeventionis, vel praeventivi iudicii terminus, apud Practicos adhibetur; Primo quoad Judicem, vel forum, quia nempe pluribus existentibus in Civitate, vel in loco Judicibus aequè competentibus, eligendis arbitrio Actoris, cuius est electio, ille, qui unum iudicem timet, atque habitualis Reus est, ut alium magis commodum, vel magis benevolam iudicem habeat, Actorem praevenit eum remedio textus in *l. diffamari ff. de ingen. & manumiss. & l. si contendat ff. de fideiussor.* quod in Curia vulgo *iactationis, & iactationum*, dicitur, de quo habetur supra *discur. 2.* Atque data competentia, adeo ut iusta declinationis, vel recusationis causa non accedat, id proficuum est, quoniam ita Reus obtinet illud electionis beneficium, quod regulariter est Actoris, istaeque dicitur diligentiae effectus proficiuus.

Quamvis autem pro istius remedii competentia, per DD. in puncto juris, plura desiderentur requisita, & praesertim illud formalis probationis iactationum; Attamen Curiae praxis id desiderare non videtur, quasi quod ex eo videatur sufficiens praesumpta probatio resultare, quod Reus, cuius partes sunt fugiendi, Actorem ita provocet; Id etenim est inverisimile, nisi iactationes praecederent; Quoties tamen extrajudiciales, essent, secus autem ubi judiciales, quoniam tunc causa per Actorem praeventa dicitur, ideoque hoc remedium à Reo non est experibile, & consequenter ubi adhibeatur, Actore recusante, causa remittitur Judici praevento, cum moderatione inhibitionis, supra *disc. 2.*

Quinimò in Curia ex Constitutione Pauli V. reformatoria Tribunalium, cum qua hodie proceditur, & quae in plerisque innovativa est alterius reformatoriae Constitutionis Pii Quarti, praecipitur, ut in monitoriis, ac etiam in inhibitionibus vigore commissionum, quae in hoc remedio expediuntur, apponi semper debeat clausula *dammodo molestiae non sint iudicialiter illatae*, ut ita in casu quo ista conditio deficiat, inhibitio nullatenus afficiat, sed rectè sperni valeat, cum sit moderatio, quae ex eius ventre resultat.

In casus autem contingentia pluries disputare occasio dedit in Signatura Justitiae, an notario istam clausulam negligente, illa subintelligi debeat; Atque pro adiecta haberi, adeo ut existentibus iam molestiis judicialibus, inhibitio non afficiat, neque processus ad ulteriora causet attentata, atque iuxta Advocatorum necessarias partes, de quibus Morales in hoc ignorando quid dicant, scandalizari solent, modo unam opinionem, & modo alteram substinendo.

Quando attentatorum incursum substinere, occasio dabat, deducebam vulgarem, & quotidianam propositionem de qua infra in attentatorum Rubrica *disc. 18.* quod inhibitio sive iusta, sive iniusta est timenda, quodque in arbitrio partis vel Judicis inferioris positum esse non debet, superioris inhibitiones, & praecipua spernere, sibi in hac parte jus dicere, ac propterea adiri debet idem inhibens, vel alter eius superior, ut est Signatura Justitiae pro moderatione.

E converso autem, quando scribere contingebat pro attentatorum excusatione; Dicebam, quod dicta conclusio, ut inhibitio sive iusta, sive iniusta timenda sit, limitationem recipiat in casu notorio, & certo, qualis iste dicendus videtur, ob expressam dispositionem dictae Constitutionis Apostolicae

continentis perpetuam dictionem *semper*, quae aequipollet dictioni universali *omnes*, quodque propterea rectè congruerent ea, quae in iure habemus de clausulis de communi stylo apponi solitis vel debitis, ut non apposita, inesse censentur etiam ad effectum exercendi illas actiones vel ea iudicia, quae non nisi in earum vim institui possunt, dicto *disc. 18. in materia attentatorum.*

Juxta verò hanc secundam partem frequentius Signatura rescribere consuevit, quandoque tamen rescribendo de prima parte, potius ex circumstantiis facti, super causa scilicet legitima praeventionis, seu dictae clausulae verificationis, aut quod ille actus, qui coram alio Iudice gestus erat, jam suum effectum sortitus esset, diversamque rem respiceret, adeo ut dici posset quod illud iudicium jam esset finitum.

Bene verum, quod ut infra in *relatione Curiae* agendo de hoc Tribunali advertitur *disc. 31. in Relatione Curiae*, ex eius resolutionibus, certa & uniformis regula, vel certus stylus desumi vel statui non valeat, ob crebras mutationes pro temporum, vel causarum aut ingeniorum varietate.

Quando autem causa praeventa dici valeat, adeo ut verificetur dicta clausula, quod molestiae iudicialiter illatae sint, habetur supra agendo de litis introductione, vel pendentia *disc. 7.*

Altera est praeventivi iudicii species, quae fiat tam ratione Judicis, quam fortius ratione iudicii, quia nempe (ut *disc. praeced. insinuat*), debitor timens processum executivum, & rigorosum in Tribunali magis summario, & celeri, in alio Tribunali praefatum iactationum, vel diffamationum iudicium instituat, ut frequens praxis in Curia docet, introducendi causam in Rota, quae in vim obligationis Cameralis vel alterius processus executivi, cum maiori celeritate in Tribunali A. C. tractaretur, quoniam Actore petente, inhibito moderatur, sive rescribitur eidem Tribunali ut procedat perinde ac si commissio signata esset cum clausula sine praedictio obligationis Cameralis, vel alterius processus executivi.

Ista verò praeventionis materia ad hunc effectum rara est in Curia, eo quia per Signaturam Justitiae celeriter in una hebdomada, sive in una die plures causae huiusmodi, cum summaria cognitione terminantur, ut infra in *relatione Curiae* agendo de hoc Tribunali advertitur, dicto *disc. 31. in Relatione Curiae.*

Frequens autem ista praeventionis materia, esse solet in aliquarum Ditionum Tribunalibus, & praesertim in illis Regni Neapolitani, quoniam ob illud rigorosum iudicium ad formam Ritus M. C. Vicariae, super incusatione seu liquidatione instrumentorum, debitores illud formidantes, sollici esse solent super aliquo instrumenti defectu, vel super praetensa solutione, vel compensatione, aliave exceptione, praeventivum iudicium introducere, idque eis nimium proficuum esse solet, ob notabile tempus, quod in huiusmodi incidentium, ac subterfugiorum disputationibus teritur.

Tertia demum iudicii praeventivi species est illa, quae dicitur de futuro, quia scilicet deducatur ad exercitium illa actio, quae adhuc nata non sit, sed nasci speretur; Sive quod ad certam diem oritura sit, ut pro frequentiori contingentia praxis docet in causis fideicommissariis, quia nempe ille, qui praetendat post mortem alterius, ad aliquod fideicommissum se vocatum esse, ne factò casu, cogatur assumere litem, quae tam super fideicommissi existentia, vel pertinentia, quam super legitimatione personae, & identitate bonorum, ac etiam super

detraktionibus per heredem gravatum præten-
di solitis, diuturna esse solet, ita prævenire stu-
deat, petendo fideicommissi canonizationem
ad ejus favorem super certis bonis, quæ illi sub-
jecta prætendantur, atque ita præventivè dispu-
tare de prædictis exceptionibus, de quibus hæ-
redes gravati vel eorum successores, aut tertii
bonorum possessores opponere solent.

In hoc autem; Quamvis juris regula sit nega-
tiva, hujusque judicii de futuro prohibitiva, unde
15 propterea plerique DD. regularum rigori firmiter
inhærentes, simpliciter, ac indistinctè, hujus
judicii introductionem negant; Probabilior ta-
men videtur opinio aliorum distinguendum, ut
scilicet ista regula judicii de futuro prohibitiva,
procedat ad effectum cõdemnandi, & exequen-
di extunc, atque speranti jus de futuro, incertum,
& eventuale, concedendi immisionem, vel ali-
ud remedium; Secus autem ad effectum decla-
randi ea, quæ sub dubio esse possunt, ut ita futuri
litibus ac dilationibus occurratur ad effectum
tamen, ut non nisi purificata conditione, seu ali-
às facto casu aperturæ juris ad favorem actoris
fiat executio ejus quod judicatum est, cum id
omnino rationale, ac justum videatur, ita ca-
lumnias, ac subterfugiis occurrendo; Quoties
Actoris petitio probabiliter habeat boni juris
sumum. De ista questione pro utraque opinione Fab.
de Ann. conf. 126. Rovit. conf. 95. lib. 2. Prax. ad Mus-
catell. in prax. civ. p. 1. fol. 20. Amat. di. 1. var. c. 49. add.
ad Buratt. dec. 368.

Idque etiam praxis docet in dotibus, quæ ex
bonis liberis vel fideicommissariis respectivè
illorum, quorum dotandi obligatio prætenda-
16 tur, petantur per puellas adhuc nobiles, nullam-
que matrimonii occasionem habentes, quoniam
licet dotandi obligatio, sive sit ex dispositione
juris, sive ex illa hominis, quoties non intrat ra-
tio vel privilegium legitima, matrimonii con-
ditionem sub se contineat adeo ut possit per pu-
ellæ prædecessum ante matrimonii contractum,
caducari; Adhuc tamen restè datur judicium
præventivum de futuro, ad effectum firmandi
statum, cum re judicata, promptè exequibili, pu-
rificata conditione, tam circa ipsius dotis sub-
stantiam, quam circa taxam, ac modum in quan-
titate vel qualitate bonorum, ut ita certificata
dote, puella promptius, ac facilius inveniat vi-
rum, quem alias non de facili inveniret, cum
dote incerta & litigiosa, ne duplicem litem vir
suscipere cogatur. *in. de dote disc. 166. & 143.*

Quinimo isto casu, quando facti circumstan-
tiæ, pro Judicis prudenti arbitrio, ita suadeant,
17 dari potest judicium de futuro, etiam ad effe-
ctum executionis præventivæ, sed sub impli-
cita conditione resolutiva, quatenus conditio
deficiat, ut scilicet ille, qui dotare obligatus est,
tot bona assignare, vel dotem in pecunia depo-
nere teneatur, etiam ante tempus matrimonii,
præsertim in dotibus Monachandarum, ut quo-
tidiana praxis docet. *eod. in. de dote disc. 167.* cum
similibus, quibus eadem congruat ratio, quoni-
am omnium rerum vis consistit in effectu vel
sine, non autem in formalitatibus.

Certiùs autem, & cum minori controversia,
istud judicium de futuro datur in iis, quæ ha-
18 beant causam certam præexistentem de præsen-
ti, congruat autem pro ejusdem causæ effectibus
occurrere, ut adveniente tempore, seu facto ca-
su, promptum sequatur implementum; Puta
in censibus, vel in decimis, aliisque annuis præ-

Card. de Luca de judiciis & judicialibus.

stationibus. *Cenc. de cens. quest. 96. Conciol. alleg. 26.*

Ac etiam in jurisdictionalibus, vel præemi-
nentialibus, ne quando casus contingit, lites &
inconvenientia orientur, ut præsertim in praxi
dedit occasio de hoc agere super jure Capituli
Cathedralis contra aliud Capitulum Collegia-
tæ, in deputatione Vicarii Sede vacante, ut scili-
cet Sede plena, super futuro casu, vel tempore
judicium peragatur, etiam cum coactione ad pa-
ritionem verbalem loco executionis realis, ut
ista facto casu, promptè sequatur. *in. de jurisd.
disc. 24.*

Idemque in præcedentiis, vel in aliis juribus,
pro casibus in futurum contingibilibus, puta in
ingressibus Principum, vel in processionibus seu
comitiis, ac similibus functionibus, cum incon-
veniens esset, ut tunc lites de super peragere
oporteat, dum ipsa lis tempus functionis absor-
bet, ipsamque occasionem irreparabiliter tollit,
juxta exemplum quod vulgò tradit solet in liti-
bus super scamno vel pro concione, tempore
quadagesimali, quoniam nihil refert, quod post
Pascha obtineatur victoria, quæ inutilis rema-
neret, ideoque restè intrat extra tempus quadra-
gesimale judicium præventivum de futuro ut
adveniente tempore, vel occasione, prompta sit
executio, cum similibus.

Et in summa, hujusmodi quaestionum regula-
rix esse debet ratio, seu finis, ob quem justè id
petatur; Nimis etenim irrationabile esset, ut qui
sperat, vel expectat purificationem fideicom-
missi, vel majoratus ad sui favorem, pro sola frui-
tione ad vitam, stante onere post mortem aliis
restituendi, sciens possessoris prætensionem, co-
gi debeat silere, donec possessor vivat, sequito
verò casu longam litem super fideicommissi ex-
istentia, vel pertinentia sustinere, aut super
identitate bonorum, vel super legitimatione
personæ vel detraktionibus, dum ita ejus vita
prius terminaret, quam lis haberet finem, cum
similibus.

De tertio veniente ad causam.

SUMMARY

- 1 Tertius qui non docet de ejus interesse non auditur nec admittitur.
- 2 Quando constare dicatur de interesse.
- 3 Sufficit interesse quale quale, ideoque raro admittitur, denegatur, & quod imprudens consilium sit disputationes de super assumere.
- 4 An admitti debeat in statu, & terminis, & de effectu hujusmodi quaestionis, quod admittitur in statu, & terminis facit acta sua.
- 5 De tertio veniente coadjuvando unum ex colligantibus.
- 6 De tertio veniente principaliter pro jure suo, sed consequitivo.
- 7 Quam interessati sint citandi.
- 8 De tertio infringente jura utriusque, vel habente cum uno jus coequale, ubi jus sit dividuum.
- 9 Quid ubi sit individuum, an ob omissionem sue citationis totum judicium corrumpat.
- 10 Quando jus dicatur principale, & coequale, vel accessorium, & exemplificatur.
- 11 An & quando tertius impedit expeditionem causa.
- 12 De eodem, & quando interesse sit accessorium, vel principale, & coequale.
- 13 Licet tertius veniens ad causam, faciat acta sua, etiam sententias, non tamen sibi obstat res judicata, sed

E.

sed